Ex omni tribulatione
me eripuisti me
psal. 53.

25x.

The
Robert E. Gross
Collection
A Memorial to the Founder
of the
Lockheed Aircraft
Corporation

Business Administration Library
University of California
Los Angeles

TRACTATUS
DE
CAMBIO.

Cum annexa nova ordinatione Cambiali Wratislavienſi de Anno 1712. & Indice rerum ac verborum.

Quondam in lectionibus publicis in uſum ſtudioſæ juventutis dictatus, nunc ad prædictam novam ordinationem Wratislavienſem adaptatus

AUTHORE

WENCESLAO NEUMAN

de Puchholtz, J. V. Doctore, Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Conſiliario, in alma Univerſitate Pragenſi Codicis Profeſſore, Regio, publico, & ordinario, Regij fiſci adjuncto, & in Regno Boëmiæ Advocato Jurato.

PRAGÆ,

Apud Joh. Fridericum Rüdigerum. 1731.

VIRGINI FIDELI
DEIPARÆ
GENITRICI
Sinè originali labe
CONCEPTÆ
MARIÆ
Ad vetero-Boleslaviam
Thaumaturgæ
Hoc de Cambio
Tanquam
Fidei commercialis Tessera
luci publicæ datum opusculum.

D. D. D.

Wenceslaus Neüman
de Puchholtz.

PRÆFATIO

ad Lectorem.

OPuſculum hoc, quondam in lectionibus publicis ad titulum digeſtorum de pactis ſtudioſæ legum juventuti traditum, typis mandare, non alius fuit finis, quàm, ut ij, qui abſolutis ſtudijs theoricis ad forum accedunt, ſuper hac, in commercio humano uſitatiſſima, legibus Juſtinianeis autem incognita, cambij materia, quandam methodicam, & juribus Pontificijs ac uſui inclyti Boëmiæ Regni, incorporatarúmque Provinciarum, adaptatam haberent manuductionem, qua abſtruſos à juribus in ſcholis traditis, rei cambiariæ terminos tantò faciliùs comprehendere, & quæſtiones ſal-

tèm quotidianas resolvere possint. Exstant sane insignium Authorum super hac materia, justæ magnitudinis volumina, uti ex antiquioribus, Sigismundi Scacciæ, ex recentioribus verò, Henrici Zipffel, Joannis Christiani Königken, Jacobi Friderici Ludovici, aliorumque, quæ vel usibus locorum, in quibus Authores degunt, sunt accommodata, vel in lectore præviam aliquam rei cambiariæ notitiam præsupponunt. Utiliter inde difficiliorum quæstionum resolutiones, & fusior cambialium jurium per totam Germaniam, vicinásque Europæ Regiones, notitia hauriri poterit. Hìc prima invenies elementa, brevi compendio tradita, superadditis ijs, quæ usui & praxi hujus Regni deserviunt. Adjicio vota mea, ut in hoc de rore cœli & pingvedine terræ, abun-

dan-

danter benedicto Boëmiæ Regno, commercia, quæ induſtrioſam procurant opulentiam, magis magisque efflorescant, ad quæ promovenda, vel maximè confert exacta jurium cambialium obſervantia; ſunt enim cambia fidei mercantilis teſſeræ, mutua fides, commerciorum anima, prompta verò in materia cambiorum juſtitiæ adminiſtratio, unica fidei mercantilis conſervatio. Benevole Lector, quæ bono animo ſcripta ſunt, bono animo accipe & vale.

Index Capitum.

CAPUT I.

De etymologia, origine, definitione & divisione cambij.

CAPUT II.

De forma Cambij seu litterarum cambialium.

CAPUT III.

De materia cambij.

CAPUT IV.

De causa efficiente, seu personis in contractu cambij intervenientibus.

CAPUT V.

De causa finali cambij.

CAPUT VI.

De loco cambij.

CAPUT VII.

De temporibus cambij.

CAPUT VIII.

De præsentatione, acceptatione, & protestatione litterarum cambialium.

CAPUT IX.

De actione cambiali & executione.

CAPUT X.

De cambio ficco.

CAPUT I.

De etymologia, origine, definitione, & divisione Cambij.

CAmbium germanice Wechsel, derivatur à verbo cambio, cambis, cambire, quod idem significat, quôd permutare, & sæpiùs in Jure in hac significatione usitatur, *cap.* 6.)(*de exceptionibus. Lib.* 1. *feud: Tit:* 4. §. *cùm autem* 2. Exercentes cambium, vocantur, *Campsores, Cambiarij, Collybistæ, Argentarij, Nummularij, Trapezitæ.* 1. *Etymologia Cambij.*

Initium cæperunt cambia sæculô à Nativitate Christi 1500. in Italia, & Gallia inter mercatores, sùntque contractus Jure Justinianeo incogniti. Unde ex sola consuetudine, & particula- 2. *Origo Cambiorum.*

ribus locorum constitutionibus, Die Wechsel-Ordnungen dictis legem accipiunt. Nos ea, quæ aut passim recepta sunt, aut in hæreditarijs Gloriosissimæ Domûs Austriacæ terris, vicinísque Germaniæ Provincijs usitantur, trademus, discrepantias in particularibus casibus singulorum locorum consuetudinibus relinquentes.

3. *Cambij latissimè sumpti descriptio.*

Cambium latissimè sumptum describitur, quod sit *permutatio pecuniæ pro pecunia*. Quamvis enim, juxta *l. 1. ff. de contrahenda emptione*, pecunia perpetuam ac publicam habeat æstimationem, id tamen intelligendum est, de valore extrinseco, non autem intrinseco, sunt enim quidam nummi in valore extrinseco pares, in materia meliores. Item pecunia in uno loco plus commodi adfert, quàm alio; ut proinde subsit sufficiens ratio permutandi, & lucrum exiude capiendi.

Diversitas valoris pecuniæ.

Divi-

Dividitur, quòd aliud sit *reale*, aliud *siccum*. *Reale est, in quo revera pecunia pro pecunia permutatur. Siccum, quod nomen Cambij tantùm habet*, in effectu verò non est, nisi mutuum coloratum, aut alius illicitus contractus ad extrahendum hoc titulo lucrum injustum. 4. *Divisio Cambij in reale & siccum.*

Cambium reale iterum subdividitur, quòd aliud sit *minutum*, aliud *per litteras*. Cambium minutum est, *quô pecunia præsens cum alia præsenti alterius speciei ejusdem tamen valoris extrinseci cum modico lucro permutatur*, v. g. aurei pro pecunia argentea, aut ærea, aut pecunia grossa pro minori. 5. *Cambium reale aliud minutum, aliud per litteras.*

Cambium per litteras est *contractus nominatus consensu initus quô convenitur de pecunia certô locô numeranda, recepto justo ejusdem valore in alio loco*. Vocatur species hæc cambij per litteras, non quòd necessariò litteris iniri debeat, potest enim cam- 6. *Cambij per litteras, descriptio.*

bium etiam ſolis verbis contrahi, auff Kauffmanns-Parole: ſed quòd plerumque litteris expediri ſoleat, durch Wechſel-Brieffe, per teſſeras, & ſymbola collybiſtica, ſeu litteras cambij. Dicitur contractus nominatus: quia ex conſuetudine certum nomen accepit. Dicitur *conſenſu initus*: quamvis enim plerumque permutatio hæc pecuniæ à traditione incipiat, ſi v. g. Titius mihi det 100. Pragæ, ut 100. ſôlvam Lipſiæ, tamen etiam litteræ cambiales dari ſolent erga valutam ſeu pretium pecuniæ in futurum recipiendum. Dicitur *de pecunia certô locô numeranda*: quia ad ſubſtantiam cambij requiritur, ut pecunia certô locô ſolvatur, & quidem in alio, quàm in illo, in quo dans litteras cambij ſeu Traſſans aut trahens cambium, valutam ſeu pretium cambij recipit; & per hoc diſtinguitur cambium à mutuo, ſi enim pecuniam hodie acceptam

Pra-

Pragæ iterum eodem loco vel nullo determinato ſolvere promittam, eſſet de rigore juris mutuum, quamvis ejusmodi litteræ cambiales ob formam cambij de conſuetudine Germaniæ privilegijs cambij gaudeant, eò, quòd per hoc fuſior chyrographorum forma evitetur, ac in partium placito conſiſtat, in vim efficacioris contractûs ſeſe obligare, ac paratæ executioni ſubjicere. Dicitur *recepto juſto valore*, qui quidem ex primitiva natura cambij in pecunia numerata, vel numeranda cònſiſtere deberet, uſus tamen etiam induxit, locò valutæ merces recipere, aut aliud æquivalens etiam in pecunia credita, quod usque adeò juxta *novam ordinationem Wratislavienſem de Anno* 1712. § 31. procedit, ut in litteris purè ly valuta empfangen/ exprimi debeat, & ſi adjiciatur clauſula, die valuta an Wechſel-Brieffen an andere Orte vergnüget, habeatur pro non

Cambium ad eundem locum quamvis impropriè legio Cambij gaudet de conſuetudine.

Valuta Cambij in quibus rebus præſtetur.

non adjecta, quod ideò factum, nè detur occasio disputandi de recepta valuta ex hoc expresso valutæ modo.

7. Circa justum pecuniæ valorem observa, quòd ob diversitatem loci pecunia cæteris paribus semper pluris valeat, quæ alio loco solvitur, sempérque is, in cujus gratiam fit permutatio de loco ad locum, alteri lucrum aliquod indulgere debeat, quod passim das Wechsel-Laggio nominatur: nemo enim tenetur sinè lucro rem suam permutare, & alteri officium præstare, licèt per accidens quandóque contingat, quòd talis remissio solutionis ex parte campsoris nullum onus contineat, exempli gratia: Titius petit â me cambium 100. Imperialium Lipsiam, & ego habeo â Cajo ibidem recipiendos 100. Imperiales, super quibus solvendis ad Cajum litteras cambiales dirigo, & pro lucro meo à Titio tria ex centum recipio, quo

Wechsel-Laggio quid sit.

casu ad justificandum meum lucrum non attenditur, an ego exinde aliquod onus sentiam, sed an Titio obsequium pretiô æstimabile præstiterim. *Quantum* autem sit justum pretium, seu laggio pecuniæ alibi solvendæ, id ex hisce ferè circumstantiis colligi solet. I. *Ex qualitate monetæ*, si susciplam argenteam, & obligem me ad solvendam auream. II. *Ex diversitate valoris pecuniæ* in loco litterarum cambialium datæ, & solutionis alibi faciendæ, sic si recipiam 100. Imperiales solvendos Hamburgi, qui mihi Pragæ numerantur in Cæsareis 17. Crucigeris, qui ibi non valent nisi 15. Crucigeros. III. *Ex distantia loci & difficultate contentandi* illum, qui ad expediendum cambium locò mei, v. g. Hyerosolymis 100. aureos solvendos acceptavit. IV. *Ex dilatione temporis*, si numerandas suscepi intrà 14. dies Lipsiæ 100. florenos, quos mihi Cajus primò in tr-

Justa quantitas des Laggio unde desumatur.

trà quadrantem anni solvit. V. *Ex difficultate habendi pecuniam* in loco, ubi solvitur, eò quòd sit ibidem rarior. VI. *Præter* omnem indemnizationem etiam campsori modicum lucrum indulgendum, ne professionem hanc bono publico utilem gratis exerceat.

Cambium aliud regulare aliud irregulare.

8. Cambium per litteras iterum aliud est *regulare*, quod fit ad tempus & locum nundinarum. Aliud *irregulare*, quod fit extra locum vel tempus nundinarum.

Nundiuæ quid sint.

Ubi observa nundinas esse *tempus authoritate publica constitutum, quo certô locô solennis mercatus exercetur, & mercatores ad solvendas & extrahendas, item credendas sibi invicem pecunias, nec non ad dati & accepti rationes conficiendas conveniunt*; tales sunt nundinæ Lipsienses, Lugdunenses, Vesontinæ, Bolzanenses, Francofurtenses. Ut autem justus valor pecuniæ de uno in alium locum cambiandæ sciatur, solet plerumque in similibus

nun-

nundinis authoritate publica pretium cambij de uno loco in alium proximis nundinis obſervandi taxari, quod vulgò *curſus cambij*, oder der Wechſel: *Cours* nominatur, & hæc taxatio pleris. que in locis per certos mercatores ex numero mercatorum in nundinis præſentium electos deſignari ſolet, juxta formam ordinationis cambialis in illo loco receptam. Quid uſitatum Lipſiæ, vide *ordinationem cambialem lipſienſem art.* 31. quamvis nemo ad curſum cambij ſtrictè ſit ligatus, qui non ob juſtam cauſam eundem excedere poſſit, citatô locô. Quod autem cambia irregularia attinet, quæ extra tempus, aut locum in curſu cambiali deſignatum contrahuntur, in illis taxatio pretii cambialis conſcientiæ campſoris pro qualitate circumſtantiarum ſuprà recenſitarum relinquitur; ſi etiam non directò, ſed per loca intermedia cambium trahatur, pretium

Wechſel. *Cours quid ſit.*

tium cambij ex cursu intermediorum locorum desumitur. Magdeburgische Wechsel-Ordnung. art. 17.

9. Cambium per litteras iterum aliud est, quod à trassante seu dante & conscribente litteras cambij, germanicè von dem Ausgeber des Wechsel-Brieffs, inter ipsum & remittentem concluditur, vocaturque ein Wechsel-Brieff zwischen Geber und Nehmer, oder Wechsel-Brieff à retour *Ordinatio Wratislaviensis nova* § 22. & in hoc tantùm duæ personæ principales interveniunt, videlicet recipiens litteras cambij, seu creditor cambij, dictus der Remittent oder Nehmer des Wechsel-Brieffs, & debitor cambij, seu dans litteras cambij, der Ausgeber. Aliæ litteræ cambiales sunt, quæ à trassante ad tertium aliquem diriguntur (dictæ ein trassirter Wechsel-Brieff,) qui ad mandatum ejus pecuniam solvat: & in hac spe-

Litteræ Cambij aliæ inter duos aliæ inter tres vel quatuor contrahuntur.

ſpecie cambij tres interveniunt perſonæ, nempe remittens cambium, traſſans ſeu trahens & acceptans cambium, in quem confertur ſolutio; quin imò quandoque quatuor perſonæ in cambio intervenire ſolent, ſi nempe ego dem Titio Pragæ 1000. ut Neapoli illos per Cajum ſuum correſpondentem ſolvat Sempronio, tunc ego ſum remittens, Titius eſt traſſans, Cajus acceptans ſeu creditor cambij.

CAPUT II.

De forma cambij ſeu litterarum cambialium.

1. *Cauſa formalis cambij conſenſus.*

CAuſa formalis cambij eſt conſenſus, abſolutè enim etiam ſinè litteris cambialibus contractus iſte expediri poteſt auff Kauffmanns-Parole; quia autem, uti dictum, id rarò accidit, ſed plerumque contractus cambij in ſcripturam redi-

digi solent, ideò Wechsel-Brieff & Wechsel-Zettel nuncupatur; unde de forma litterarum cambialium hìc tractabimus, ubi

2. Observa, distinguendum esse, an cambij solutio dirigatur ad ipsum dantem litteras cambij, an ad tertium aliquem, cui demandatur solutio, utriusque formulam idiomate germanico dabimus, eáque examinata, requisita, formalia litterarum cambij declarabimus.

Formulæ diversæ litterarum Cambialium.

Formula litterarum cambij ad ipsum debitorem, seu trassantem directarum.

Anno 1711.

Laus DEO. den 5. Februarij in Prag 500. Rthl. courant.

Nechst künfftige Leipziger Oster-Messe zahle, oder verspreche zu bezahlen in Leipzig gegen diesen meinen Sola Wechsel-Brieff 500. Rthlr. courant, an Herrn Georg Winckler, oder Com-

Commiſs, die Valuta darvor in paaren Geld empfangen.

An mich ſelbſten

Peter Pedroni.

Formula litterarum cambij ad tertium, cui demandatur ſolutio directarum. 2.

Prag den 15. Februarij Anno 1711. 500. Rthl. courant.

Vierzehn Tag Nachſicht zahle der Herr in Leipzig gegen dieſen meinen prima Wechſel-Brieff, ſecunda unbezahlt (oder ſecunda Wechſel-Brieff / prima unbezahlt) die Summa 500. Rthl. courant (oder banco in ſpecie) valuta von Jhme (oder von Herrn Philipp Krieger) empfangen. Der Herr ſtelle es a Conto laut aviſo.

An Herrn Chriſtian Ekolt in Leipzig.

Peter Pedroni.

Superêſt adhuc, ut haſce formulas per partes examinemus. 3.

Locus datarum litterarum cambij. Primô locô ponitur Rubrica, in qua inſeritur locus & dies datarum litterarum cambij, uti & ſumma ſolvenda.

Tempus ſolutionis. Secundò exprimitur tempus ſolutionis, quod varium. Vierzehen Tag Nachſicht ſignificat, quòd ſolutio debeat fieri quatuordecim diebus poſt præſentationem, & acceptationem litterarum ejus, cui demandatur ſolutio; unde in caſu, ubi ſolutio à tertio fit, is, qui levare vult pecuniam, vi litterarum cambij acceptantem accederc, ipſũ litteras cambiales præſentare, & an eas acceptet, interrogare debet; qui deinde, ſi acceptat, id litteris cambij ſubſcribit:

acceptirt den 10. Februarij
Chriſtian Ekolt.

& ab illa die tempus der Nachſicht currere incipit. Plura de alijs temporibus ſolutionis infra ſpeciali capite.

Locus ſolutionis. Tertiò exprimitur locus ſolutionis.

Quir-

Quartò an sit sola, an prima, an secunda, an tertia, Wechsel-Brief. *Sola* denotat, quòd unica scheda cambialis sit edita. Ly prima, secunda, tertia verò quòd ob securitatem remittentis cambium datæ sint vel dari reserventur super eandem summam plures litteræ cambiales ejusdem valoris & tenoris, ut creditor cambij, si forte primæ, vel secundæ litteræ sint deperditæ, saltèm uno exemplari exhibito pecuniam recipere possit, una tamen solutione acceptans ab omnibus ejusmodi litteris liberatur. Unde apponitur, gegen dieſen prima, secunda unbezahlt, acceptans autem cautè inspicere debet, an prima, secunda & tertia sint ejusdem tenoris & dati, aliàs enim dupliciter solvere deberet. Cæterum juxta *novam ordinationem cambialem Wratislaviensem* § 13. debitor cambij, seu der Ausgeber des Wechsel-Briefs dem Geld-Geber seu creditori

4. *Quid sola, quid prima & secunda Wechsel-Brief denotet.*

Cautela an prima & secunda Wechsel-Brief sint ejusdem tenoris.

bij ſecunda & tertia Wechſel-Brieff recuſare non poteſt.

5. Quintò exprimenda perſona cui facienda ſolutio, & additur: An Herrn N. N. oder Commiſs, oder deſſen Ordre. Ly Commiſs ſeu Ordre, derivatur à committere & ordinare, & denotat fidelem detentorem vel poſſeſſorem litterarum cambij, cui is, ad quem pertinebant litteræ cambiales, commiſit receptionem pecuniæ vel tanquàm mandatario, vel tanquàm ceſſionario. Ubi obſerva I. quòd debitor cambialis pecuniæ non teneatur illam exſolvere cuivis exhibitori litterarum cambialium, niſi ſit ipſe principalis in litteris nominatus, vel producat à principali ceſſionem aut mandatum exigendi pecuniam, quod ſolet in tergo litterarum adſcribi hac formula:

Commiſs und Ordre quid denotet.

Zahlt vor mich an Herrn Johann Boſen, ſoll mir gute Zahlung ſeyn

George Winckler.

Et

Et hæc demandatio solutionis vocatur indossiren, indousse, indossatio.

Observa II. quod ly, zahlt vor mich denotet tantùm mandatum exigendi pecuniam, si autem addatur: Dessen Werth bin ich von ihme vergnügt, operetur plenariam cessionem: & hæc cessio seu demandatio solutionis vocatur *indossatio, indousse indossiren.* Si plures fiant ab uno cessionario in alterum, id vocatur den Wechsel-Brieff *giriren.*

Zahlt vor mich, *quando denotet mandatum, & quando cessionem.* *Indossiren & giriren quid significent* *Giri plures alicubi prohibiti.*

Observa III. alicubi locorum giros litterarum cambij prorsus esse prohibitos, utì zu Botzen, *Ord. Camb.* §. 8. Alibi permissos, utì Lipsiæ, Augustæ, & *in nova ordinatione cambiali Wratislavienſi art.* 24. ità tamen, ut girus oder daß indousſement non fiat in bianco. Leipziger Wechsel-Ordnung art. II. *nova ord. Wratislav.* §. 18. Dicitur autem fieri girus in bianco, si credi-

Indossare in bianco quid significet.

tor cambij ſolum nomen in dorſo adſcribat, non expreſſo cui, vel qualiter ſit factus girus. Alibi autem giri etiam in bianco ſuſtinentur, qui tamen multas cauſare ſolent confuſiones.

Obſerva IV. Licèt in litteris cambialibus non exprimatur an Herrn NN. oder Commiſs, tamen, ſi ſupra ſcripta ſit indoſſatio, is, cui incumbit ſolutio, eandem illi præſtare tenetur, ſuper quem ſonat indoſſatio, ex ratione: quòd debitor de jure impedire non poſſit, nè creditor jus ſuum alteri cedat, vel ad recipiendam ſolutionem mandatarium conſtituat: cùm, quod quis per alterum facit, per ſe feciſſe videatur. Ità *Zipffel de cambijs ſect. 6. pag. 135.* ubi allegat reſponſum ſcabinorum Lipſienſium.

Indoſſare permiſſum licèt in litteris non ſit expreſſum.

6. *Monetæ qualitatis expreſſio.*

Exprimenda præterea qualitas monetæ, an nempe ſolutio facienda in current-Geld, an in ban-

banco seu speciebus certorum nummorum? de quo alibi.

Ly *valuta* empfangen, designat causam debendi, seu veram originem & titulum debiti, qui in cambio est æquivalens pretium pecuniæ alio loco numerandæ, quod se recepisse fatetur. Quoniam autem in cambijs, uti dictum, diversis modis pretium cambij recipi solet, ideò etiam varijs modis valutæ receptio designari solet. Si trassans paratam pecuniam recepit, addere solet: Valuta an paaren Geld empfangen. Si verò fidem remittentis, accepta locò pecuniæ paratæ alia cautione, secutus est, aut modum, quo valutam recepit, exprimere nolit, apponit: Valuta content, vel den Werth von ihme, aut den Werth von ihme empfangen; inter quæ ultima quidam differentiam ponunt, quòd ubi non est insertum ly empfangen, valuta tantùm cen- 7. *Valuta quid denotet.* *Valutæ acceptio variis modis exprimitur.*

ſeatur promiſſa, non data. Quandoque etiam, ſi ſcribens litteras cambij valutam in mercibus recipit, adjicit: den Werth an Waaren empfangen. Quocunque autem modo ſe valutam recipiſſe fateatur, ſemper ad ſolvendum tenetur, ſi autem de recepta valuta mentio non fiat, regulariter cambium adhuc obligat, *Ord. Cambialis Lipſienſis art.* 3. *Brunſvicenſis* § 28. quamvis in Gallia aliud obtineat, In *nova ordinatione Wratislavienſe* § 13. habetur, ſi quis cambium cum altero paciſcendo concluſerit, & litteras cambiales dem Wechſel-Nehmer extradiderit, is autem promptam ſatisfactionem dem Wechſelgeber non præſtiterit, quod tunc ſcribens cambium contra eum paratam executionem ad ſolvendam pecuniam habeat, non attenta ulla exceptione vel compenſatione, qui textus in combinatione §. 31. *ejusdem odinationis* ſatis obſcurus eſt,

Sine expreſſione valutæ cambium valet.

est, nam ibi dicitur: in cambijs à retour valutam receptam esse, purè exprimi debere, si ergo litteræ cambiales confessionem acceptæ valutæ continent, habet der Wechsel-Nehmer pro se liquidam probationem, quòd de valuta den Wechsel-Geber contentaverit, quomodo ergò contra eum ad solvendum cambij pretium parata executio competet? & non apparet ratio, cur non possit der Wechsel-Nehmer opponere, se valutam compensando aliud debitum præstitisse. Ad quam difficultatem tollendam, dicendum erit in § 13. *novæ ordinat. cambi alis Wratislavienſis* casum esse, ubi ex scriptura seu notitia de conditionibus concluſi cambij confectæ, aut ex protocollo sensalis juxta § 41. & 42. *ejusdem ordinationis*, aut aliô modô patet, quòd valuta in litteris cambij confessata in pecunia jam numerata non fuerit præstita, sed der Ausgeber de

Combinatio Ord. Wratisl. Art. 13. & 31.

de ea mox præstandâ fidem habuerit, quo casu contra den Wechsel-Nehmer parata executio ad illam solvendam locum habebit; si autem de hoc non constet, imputabit sibi der Ausgeber des Wechsel-Brieffs, quòd de recepta valuta confessus sit. Ubi

In chyrographis causa debendi exprimenda.

3. Observa in jure receptum esse, chyrographum sinè expressione causæ debendi, seu contractûs, ex quo obligatio oritur, v.g. mutui, emptionis, vel donationis, nihil probare per *cap. si cautio* X. *de fide instrumentorum* & *leg. cùm de indebito* § *fin. ff. de probat.* Unde hoc casu allegans tale chyrographum, causam debendi probare debet; si autem chyrographum causam debendi expressam habeat, probat contra scribentem, nisi ipse dilucidè falsitatem causæ debendi probare possit. Quòd autem quibusdam locis aliud in litteris cambialibus obtineat, videtur ratio

In cambiis aliquibus locis aliud obtinet.

esse

esse: quòd in cambijs non procedatur secundùm apices Juris.

Quæstio est, an in cambijs exceptio non numeratæ pecuniæ locum habeat? & R. distinguendo: aut tertius ad quem litteræ cambij directæ fuerunt, eas acceptavit, & hanc exceptionem opponere vult, & tunc exceptio non numeratæ pecuniæ, vel potiùs non præstitæ valutæ ex parte acceptantis nulla ratione locum habet: quia regula est: Qui acceptat, solvit. Chi accetta paga. Augspurger Wechsel Ordnung § 7. Si verò litteræ cambiales à retour ad ipsum cambij scriptorem, den Ausgeber, qui in se solutionem recipit fuerunt directæ, tunc distinguendum est inter exceptionem non numeratæ pecuniæ privilegiatam, quæ onus probandi in adversarium reclinat, & inter non privilegiatam, ad cujus probationem sese allegans offert. Privilegiatam non numeratæ pecu-

9. *Exceptio non numeratæ pecuniæ, quatenus in cambiis locum habeat.*

niæ exceptionem der Wechsel-Brieffs-Ausgeber opponere non potest, ex ratione: I. *Quia* hæc exceptio tantùm in mutuo locum habet, cambium autem est contractus à mutuo differens. II. In cambio valuta non semper in parata pecunia persolvitur, sed etiam scribens cambium fidem de pretio cambij recipiendo à suscipiente litteras cambij, chyrographum de valuta in futurum solvenda, habere, aut etiam merces locò valutæ acceptare potest, ubi confessio generalis de valutæ contentatione eidem semper obstat, & materia ipsa exceptionis non numeratæ pecuniæ deficit, plura vide apud *Scacciam de Commerc. & Camb.* § 2. *gloss.* 6. *num.* 6. & 12.

Non privilegiata exceptio non receptæ valutæ quatenus locum habeat.

Quòd autem non privilegiata non numeratæ pecuniæ seu potiùs non receptæ valutæ exceptionem attinet, sub distinguendum est, an hæc exceptio liquidò & in continenti fortè per con-

contrariam scripturam aut confessionem creditoris cambij probari possit, & tunc locum habebit ad impediendam executionem litterarum cambialium; constat enim de defectu substantiæ cambij, nempe de defectu permutationis pecuniæ cum pecunia. Leipziger Wechsel-Ordnung *art.* 13. Si verò illiquida sit hæc exceptio, Judex solutionem cum depositione imponet; Der Ausgeber des Wechsel-Brieffs verò deinde viâ Juris ordinariâ indemnitatem suam quærere poterit, conditione sinè causa. Et hæc ita procedunt, si negotium sit inter trassantem seu den Ausgeber des Wechsel-Brieffs, & primum cambij creditorem seu den Wechsel-Brieffs-Nehmer; si autem litteræ cambij per girum seu indossationem tertio fuerint cessæ, non habebit locum exceptio non numeratæ pecuniæ, seu non receptæ valutæ, utì nec solutionis,

Contra Cambium indossatum non habet locum exceptio non receptæ valutæ.

nis, licèt in continenti probetur contra cessionarium; persæpè enim contingit, ut debitor cambij der Ausgeber creditori cambij dem Nehmer ad hoc, ut ipse locupletior appareat, det litteras cambij, interim autem ab eo aliam cautionem recipiat de non soluta valuta, qua se deinde der Ausgeber des Wechsel-Briefs seu debitor contra cessionarium talium inanium litterarum tueri vult, per quod cessionarius redimens ejusmodi litteras graviter deciperetur. Idem est, si der Ausgeber, seu debitor cambij, cum creditore cambij dem Wechsel-Nehmer compensationem habeat, aut præstita solutione nihilominus litteras jam exinanitas in manibus creditoris relinquat, non adscribendo in litteris, an, & quid desuper solutum sit? tunc enim si creditor cambij hasce exinanitas litteras alteri dolosè cedat, debitor cambij extra dolum esse non potest, quòd ad de-

Contra cessionarium litterarum cambialium non habet lo-

deceptionem aliorum exinanitas litteras in manu creditoris reliquerit. Undè licet aliàs regula sit: quod exceptio solutionis, compensationis, & non numeratæ pecuniæ, quæ obstat cedenti, etiam cessionario obstet; tamen hìc ob manutenendam fidem cambiorum, & evitandas fraudes locum non habet. Et ità decidit *Serenissimus Elector Saxoniæ in Mandato Anno* 1700. 2. *Januarij styli novi emanato*, hac tamen addita limitatione: quòd, si solutio sit facta per scontro, seu computum in nundinis celebratum, licèt litteræ cambiales non fuerint redditæ, tamen hoc casu exceptio solutionis obstet cessionario. Quæ constitutio summam habet æquitatem, ità, ut etiam extra terras Saxonicas idem jus, non quidem ideò, quòd sic à Serenissimo Electore sit statutùm, sed quia id natura ipsa cambij & æquitas suggerit, servandum videatur; iuxta quod *novæ*

eum exceptio solutionis aut compensationis contra cedentem competentis.

Aliud si solutio sit facta per scontro in nnndinis.

ordinationis cambialis Wratislaviensis § 2. qui nimis generaliter exceptionem solutionis mox liquidabilem in cambijs semper admittit, temperandum putaverim.

10. Adjicitur præterea in litteris cambialibus ad tertium directis: und stelle es à conto laut aviso. Circa quod sciendum, quòd, quando in litteris cambialibus tertio alicui solutio demandatur, præter litteras cambiales trassans eidem alias litteras, quæ *Aviso-Brieff* nuncupantur, scribere debeat: & hæc clausæ ad acceptantem remittuntur; continent autem in se informationem trassantis, quâ certiorem reddit acceptantem, quòd ad ipsum litteras cambij direxerit. Præterea requirit eundem, ut solutionem præstet, & unà notificet, qualiter ipsi pecuniam numerandam bonifacere velit, quod *Rembours* vocatur; item quid pro labore ejus, & opera præ-

Aviso-Brief, quid sit.

Rembours quid vocetur.

præstare velit : remuneratio hæc, quæ acceptanti litteras cambij præstari solet, *provisio* vocatur, de qua, si nihil inter partes conventum, solet esse medius florenus ex centum, potissimùm in acceptatione & solutione cambiorum, ubi acceptans pro trassante fidem suam interponit, & *del credere stat*, prout à pluribus mercatorum collegiis suasum fuisse vidi. In aliis negotiis mercantilibus autem, ubi correspondens fidem suam non interponit, sed v. g. tantùm pecunias alterius correspondentis recipit, & exsolvit, aut merces aliis negotiatoribus extradit, & pecuniam recipit ad tertiam partem unius floreni ex centum reduci solet. *Zipffel de cambijs sectione* 6. *pag.* 131. *ly* Stelle es *à conto* denotat, qualiter acceptans id, quod exponit, in computu trassantis notare debeat, potest enim contingere, ut acceptans trassanti æquivalentem summam teneatur,

Provisio quid sit & quanta.

Stelle es *à conto*, *quid denotet.*

teneatur, aut econtra acceptans pecuniam anticipet, quæ ipſi cum uſuris cambialibus refundendæ ſunt. Hæ uſuræ autem pro varietate locorum ſunt variæ, quandoque octo ex centum, paſſim 12. ex centum, id eſt ex centis florenis unus in ſingulos menſes. Si traſſans litteras aviſorias non miſit, is, cui committitur ſolutio, acceptationem litterarum juſtè recuſat: nemo enim tenetur pro alio ſolvere, niſi ſibi indemnitas monſtretur.

Uſuræ cambiales quantæ.

Aviſoriæ litteræ ſi non mittantur, acceptatio juſtè recuſatur

II. *Subſcriptio & inſcriptio litterarum cambialium.*

Adjicienda præterea ſubſcriptio traſſantis des Wechſel-Ausgebers, & tandem vel in fine litterarum cambialium, vel à tergo inſcriptio, ad quem acceptantem, vel ſolventem litteræ cambiales dirigantur, ſicut in poſitis formulis expreſſum eſt: An Herrn Chriſtian Ekolt in Leipzig, vel ſi ſcribens cambium ipſemet ſeſe ad ſolvendum obligavit: An mich ſelbſten, quod tamen adjici neceſſe non eſt, cùm

cùm ex tenore litterarum satis appareat, cui incumbat solutio. Si autem trassans in loco solutionis institorem vel factorem habeat, qui nomine trassantis negotiatur, tunc adjici solet in inscriptione: An mich selbsten durch N. N. zu bezahlen. Oder bey N. N. sich umb die Zahlung anzumelden: talis enim institor pro eadem persona cum principali habetur, unde ad eum directe litteræ cambiales dirigi non solent.

12. Billets auff Waaren *quid sint.*

Litteras cambij etiam æquiparantur in effectu paratæ executionis die Billets auff Waaren, seu chyrographa, quæ intuitu creditarum mercium à debitore dari solent sub hac formula:

Ich Endes benannter bekenne hiermit vor erkauffte und tüchtig empfangene Waaren schuldig zu seyn 1000. Rthl. an N. N. die gelobe ich ihme oder treuen

Brieffs-Inhabern auff - -
danckbarlich zu bezahlen.

Leipzig den 11. Januarii
Annô 1712.

N. N.

Creditor itaque, qui tali chyrographo munitus est, perinde, ac si litteras cambiales haberet, contra debitorem executivè procedere potest. *Ex constitutione Serenissimi Electoris Saxoniæ emanata 3. Aprilis An.* 1683.

CAPUT III.

De materia cambij.

I. *Materia cambij est pecunia.*

MAteria cambii est pecunia, eáque ex parte remittentis, vel parata, vel credita, aut in æquivalenti per merces bonifacita, si ità conventum est: ex parte trassantis autem, & solventis semper debet esse parata.

Sunt

Sunt autem paratæ pecuniæ in cambiis tres ſpecies, id eſt Wechſel-Geld, *courant & banco ſeu ſpecies*-Gelder. Wechſel-Geld denotat valorem pecuniæ, prout in loco ſolutionis æſtimationem recipit. *Courant*-Geld intelligitur moneta currens in loco ſolutionis adæquata valori monetæ in loco contracti cambii currentis: ſic Imperialis *courant* deſignat Imperialem habentem valorem 90. cruciferorum, & ſatisfit ſolvendo 90. cruciferos in quacunque moneta; quamvis ſpecies infimæ valentes minùs quam groſſus Cæſareus, quæ Schied-Münz vocantur, creditori obtrudi non poſſint, ſi cambium 100. Imperiales excedat, niſi aliter conventum vel in literis ly *courant* non ſit expreſſum, adeoque nulla ſpecies monetæ reperiatur expreſſa. Breßlauer neue Wechſel-Ordnung § 30. und Leipziger § 22. Per banco ſeu ſpecies Thaler, oder

Moneta minor groſſo Cæſareo quatenus in ſolutione cambij acceptanda.

Ducaten intelligitur moneta talis in ſpecie, nec ſatisfacit debitor ſolvendo in alia ſpecie monetæ, licèt das Laggio, ſeu augmentum cambij minuti præſtare velit.

3. *Valor monetæ ſi crevit vel decrevit, ad quem commodum vel damnum pertineat.*

Quæritur: aliquis in litteris cambialibus obligavit ſe ad ſolvendos centum aureos in ſpecie, intereà valor aureorum crevit, vel decrevit, ad quem ſpectet augmentum vel decrementum? R. ad creditorem, ſi autem adjectum fuiſſet 100. ducatos in ſpecie jeden zu 4. Flr. gerechnet, und den Gulden à 60. Kr. decrementum cedit debitori, per hoc enim, quòd valor adjectus ſit, receſſum eſt à ſolutione numeri ſpecierum. Ità judicatum per Scabinos Lipſienſes, & alia Collegia, referente *Zipffel in tractatu de cambijs ſect. 6. pag. 126.*

CAPUT IV.

De causa efficiente, seu personis in contractu cambij intervenientibus.

PErsonæ principales in cambio intervenientes sunt quandoque duæ, quandoque tres, quandoque quatuor, si ego dem Cajo mille, ut eosdem solvat Lipsiæ, ego sum creditor cambii der Wechsel-Nehmer, & ipse debitor cambii, der Wechsel-Ausgeber, & totum negotium inter nos duos peragitur. Si dem Cajo mille, quos mihi à Sempronio Lipsiæ solvendos scribit, negotium peragitur inter tres, me, qui tunc remittens vocor, Cajum, qui dicitur trassans seu primus cambii debitor ad alium solutionem trahens, & Sempronium acceptantem, qui est secundus debitor cambij constituens. 1. *Personæ in cambio intervenientes quæ sint.* *Remittens, trassans, acceptans & præsentans.*

quis dicatur.

ſtitutus per ſuam acceptationem ſolutionis faciendæ. Si dem Cajo mille, ut per Sempronium Lipſiæ Titio eosdem ſolvat, interveniùnt quatuor perſonæ, ego remittens, Cajus traſſans, Sempronius acceptans, & Titius præſentans litteras cambij, & ſolutionem exigens, qui tunc eſt dominus, ſeu creditor litterarum cambii, ex delegatione remittentis.

2. *Proxenetæ ſeu ſenſales qui ſint.*

Acceſſoriæ perſonæ, quæ in cambiis & aliis mercantilibus negotiis adhibentur ſunt Proxenetæ, aliàs Senſales, und Mäckler dicti, qui inter duos negotiantes cambium concludunt, & cuilibet de eo ſcriptam notitiam tribuunt, quâ acceptatâ & retentâ partes principales obligantur. Leipziger Wechſel-Ordnung *art.* 15. Neue Breßlauer *art.* 41. In locis ubi negotiationes vigent, utí Lipſiæ, authoritate publica aſſumuntur, & juramentum præſtant de exercendo munere

nere bonâ fide : quòd videlicet merces corruptas non velint dilaudare, quòd nolint in contractibus, in quibus agunt proxenetas, partem lucri quærere, nisi consuetum proxeneticum; quòd facultates contrahentium ad circumventionem alterius nolint dilaudare; quæ ipsis à partibus in materia cambij concreduntur, secreto tenere. *Vide* de his fusiùs *Zipffel de cambiis sect.* 4. *Quamvis* alias mediatores & proxenetæ in illo negotio, ubi proxenetas, vel mediatores egerunt, testimonium perhibere non possint ob affectionem, quam habent ad implementum contractûs à se celebrati, & interesse suum interveniens. *Arg. Novell.* 90. *Cap.* 8. Hi tamen jurati sensales ob munus publicum, & juramentum ad dandum testimonium probabiliùs admittuntur. *Zipffel de cambiis sect.* 4. *pag.* 92. juxta *novam ordinationem cambialem Wratislaviensem*

Munus sensalis ad quid obliget.

Sensales in cambio possunt dare testimonium.

§ 42.

Protocolla authentisata tenere debent.

§. 42. autem Senſales protocolla negotiorum ipſis mediantibus geſtorum à ſenioribus mercatoribus authentizata tenere jubentur, quæ procul dubio fidem faciunt.

4. *Qui profeſſionem cambialem exercere poſſint.*

Cambium exercere tanquàm contractum juris gentium omnibus quidem permiſſum, quanquam profeſſionem ſtabilem exinde facere de quibusdam locorum conſuetudinibus aliquas perſonas non doceat, aliquæ autem prorſus removeantur, ſic in der neuen Breßlauer Wechſel Ordnung § 1. negotium cambiale ad extranea loca ſolis mercatoribus permittitur; Cæterum autem Eccleſiaſtici & opifices paſſim à profeſſione campſoria removentur, nobilitati autem plerisque in locis profeſſio campſoria nihil derogat.

5. *Omnis contrahens cambium*

Illud autem pro ſtabili regula obſervandum, quòd quisquis demum cambium contrahat, ad leges cambiales teneatur,

Neue

Neue Breßlauer Wechsel-Ordnung § 2. ità quidem, ut in Saxonia etiam milites legibus cambialibus subjecti declarati fuerint per Patentes *Sereniſſimi Auguſti de Anno* 1699. 30. *Aprilis.* *legibus cambialibus tenetur.*

Quæstio est: Si Clericus, miles, aut studiosus contraxit litteras cambij, an per hoc privilegiô fori privetur, & in loco ubi judicium mercantile constitutum est, coram eodem respondere teneatur? R. Si forum id ex privilegio sit attributum negativè: aliud enim est legibus cambialibus teneri, aliud foro mercantili subjectum esse; leges enim cambiales dant formam & vigorem contractui, nòn tamen privilegium fori tollunt, quæ sunt longè distincta. Unde nach Leipziger Handels-Gerichts-Ordnung coram judicio mercantili soli mercatores, & his accessoriæ personæ, utì mechanici, aurigæ, proxenetæ, & eorum famuli stare tenentur; Nach Magdeburgischer 6. *Clerici, milites, studioſi ubi conveniendi ſint*

gischer Wechsel-Ordnung *art.* 41. quilibet in suo foro privilegiato convenitur.

7. Circa Judæos observa, quòd quamvis cum illis cambium contrahi possit, tamen in hoc deterioris conditionis habeantur, quòd Christiani non teneantur ex domibus eorum pecunias levare, sed Judæi illas debeant ad Christianum creditorem deferre juxta *ordinationem cambialem Lipsiensem* § 12. & 13.

Judæi ad Christianum creditorem pecuniam deferre tenentur.

8. Quid juris in mulieribus, an & illæ legibus cambialibus sint subjectæ? R. Quamvis quidem mulieres de jure communi exceptione SCti Vellejani gaudeant, de jure saxonico verò nullum omnino contractum sinè curatoris anthoritate validè ineant, eásque cæteroquin in causa pecuniaria jura saxonica carcerari non permittant, tamen in materia cambii, ex posterioribus

bus *conſtitutionibus Electoralibus An.* 1674. 8. *Aprilis, & An.* 1675. 8. *Decembris emanatis*, mulieres peræquè ac viri in Saxonia rigori legum cambialium ſubjectæ ſunt: & hoc ſinè diſtinctione, num mercaturam exerceant, vel non, dummodo litteras cambij conſcripſerint. *Nova ordinatio cambialis Wratislaviensis* § 3. ſaltèm illas mulieres, quæ mercaturam & negotia mercantilia exercent, legibus cambialibus, non obſtante exceptione SCti Vellejani & aliis beneficijs, ſubjicit. Major quæſtio eſt de Jure communi in locis illis, ubi nulla exſtat cambialis ordinatio, caſum hunc decidens: certum quippe eſt, quòd omnis acceptans litteras fidem pro traſſante interponat, & indemnitatem ſuam non ſemper mox conſequatur, ut proinde mulier acceptans litteras cambij reverâ SCto Vellejano locum faciat. Mihi videtur præſcindendo à

Ex legibus cambialibus quatenus mulieres in cambiis obligentur.

par-

Ubi nulla viget cambialis ordinatio, mulieres mercaturam exercentes SCto Vellejano non gaudent.

particularibus locorum ſtatutis, diſtinguendum: an talis mulier exerceat cambialem profeſſionem, aut mercaturam? an non? ſi exerceat mercaturam, juſtiſſimum eſt, ut ex acceptatione litterarum cambii teneatur; eſt enim cambium contractus ad exercitium mercaturæ prorſus neceſſarius, conceſſo itaque per leges neceſſario antecedente videlicet, quod mulier mercaturam exercere poſſit, etiam neceſſarium conſequens concedendum eſt, ut videlicet contractibus in mercatura frequentatis ſe obſtringere poſſit. Quod autem mulieres attinet, quæ mercaturam non exercent, quin remittere, & traſſare cambia poſſint, ubi nulla fidejuſſionis ſpecies ſubeſt, dubium non eſt; acceptare autem, aut indoſſare cambia, & id genus actus agere, per quos pro aliis fidem interponunt, validè non poſſunt, ex ratione: quòd per tales actus fraus

fraus fiat SCto citra ullam commercij utilitatem & favorem, ut proinde ratio non sit, cur casus hic à Jure ordinario eximatur.

CAPUT V.

De causa finali cambij.

1. *Finis primarius cambij necessitas & utilitas publica.*

FInis primarius cambij est necessitas & utilitas publica, per cambia enim brevissimô temporis spatiô pecunia, quæ est anima commercij in remotissimis etiam locis haberi potest, & per illud etiam incommoditati, quæ ex dissimilitudine monetæ in diversis Provinciis diversæ nascitur, succurritur; unde etiam *Pius V. in quadam constitutione Anno* 1570. *edita* hunc contractum corroboravit. Cæteroquin etiam per literas cambiales diffusus ille instrumentorum quarantigiatorum stylus ad facilitandum commercium, & contractus varios in compendium quoddam

redigitur ut obſervatâ cambij formâ faciliùs pactorum fides parata executione extorqueatur.

2. *Finis ſecundarius lucrum honeſtum,* Finis ſecundariùs eſt lucrum honeſtum, negotiatoribus ob operas, ſumptus, & periculum permiſſus, absque lucro enim languet mercatus.

CAPUT VI.

De loco cambij.

1. *Locus cambii alius á quo, alius ad quem.* LOcus cambij alius eſt à quo, ubi litteræ cambii datæ ſunt; alius ad quem, videlicet ille, ad quem deſtinata fuit ſolutio.

2. *Debitor moroſus a conveniri poteſt in loco domicilii vel ſolutionis.* Locus cambij operatur, quòd moroſus debitor cambii duobus in locis conveniri poſſit, nempe vel in loco domicilii juxta *l.* 19. § *ff. de judiciis.* vel in loco ad quem ſolutionem deſtinavit. *l.* 2. & 3. *ff. de rebus authoritate judicis poſſidendis*; poſterius autem locum habet, ſi in illo loco

co reperiatur, aliàs enim ad locum domicilii recurrendum eſt; juxta *novam ordinationem Wratislavienſem* § 29. poteſt debitor cambii Wratislaviæ exiſtens creditori ſuo id petenti pecuniam periculo ipſius ad alium locum mittere, non tenetur tamen id facere ſinè deductione proviſionis. Circa locum etiam obſervandum eſt, quòd in civitatibus mercantilibus mercatores certum locum habeant, in quo conveniunt cambiorum, & aliorum negotiorum mercantilium causâ, qui paſſim die Kauff-Manns Börſe nuncupatur.

Quatenus debitor ad alium locum creditori pecuniam debitam mittere poſſit. 3.

Kauff-Manns-Börſe, quid ſit?

CAPUT VII.

De Temporibus cambiorum.

TEmpus quod in cambiis conſideratur, eſt triplex. I. Eſt tempus ſolutionis in litteris cambialibus expreſ-

1. *In cambiis triplex tempus ſolu-*

tionis acceptationis & protestationis.

sum. II. Tempus præsentationis & acceptationis. III. Tempus protestationis. De tempore solutionis agitur hoc capite, de tempore acceptationis & protestationis infra capite speciali.

2. *Tempus solutionis qualiter in cambiis contrahatur,*

Tempus solutionis in litteris cambialibus contrahitur vel ad certam diem, vel ad tempus nundinarum, vel à uso, vel à vista, vel auff gewisse Nachsicht-Täge, vel al piacere, nach Belieben, seu ad beneplacitum creditoris cambij.

3.

Si certus dies solutionis in litteris cambialibus nominatus sit, v.g. ultima Martij, aut intrà 14. dies à dato litterarum, solutio illo die facienda; ex communi usu cambiorum autem debitori cambii plerumque certi dies, qui *Respect-vel Respit-*Täge nominantur, ultra diem solutionis pro varietate locorum indulgentur. Juxta *novam ordinationem Wratislaviensem* § 15. Dies mensium

Respit-Täge, quid sint.

sium juxta calendarium styli novi intelliguntur, licèt cambium ex loco, ubi stylus vetus in usu est, proveniat, nisi expressè insertum esset, de diebus styli veteris. Juxta eandem *ordinationem* § 14. in cambiis ad certam diem contractis 6. Respit-Täge competunt, inter quos incidentes dies festi, quibus clausa sunt telonia, non computantur, si dies solutionis & fortè etiam aliqui dies der *Respit*-Täge lapsi sint, antequam litteræ Wratislaviam pervenerint, & ad acceptandum præsentari potuerint. Residuum tempus tantummodò der *Respit*-Täge debitoris commodo cedit; si autem & ipsi dies des *Respits* sint lapsi, cambium intrà 24. horas ab acceptatione solvendum est; si autem per moram remittentis litteræ serius ad locum solutionis pervenerint, & ex morâ damnum oriatur, id remittenti, non trassanti imputatur.

Quod circa diem solutionis & Respit-Täge Wratislaviæ observetur.

4. *In cambiis ad nundinas non indulgentur* die *Respit*-Täge.

In cambiis regularibus seu ad nundinas tempus solutionis est tempus nundinarum, in quo nulli dies der *Respit*-Täge ultra terminum nundinarum indulgentur. Lipsiæ ultimus terminus solutionis est dies Jovis in der Zahl-Wochen, aut si nundinæ novi anni non incipiant à die Dominico, 5. dies in der Zahl-Wochen, juxta *rescriptum Serenissimi Electoris datum* 4. *Septembris Anno* 1659. *art.* 2. Wratislaviæ est ultima dies des Marckts, wann der Marckt ausgeläutet wird. Neue Breßlauer Wechsel-Ordnung § 12. si solutio non sequatur, liberum est creditori, vel contra acceptantem nach Wechsel-Gebrauch procedendi, aut litteras cambiales ultima die protestandi, & quidem Lipsiæ usque ad horam decimam noctis. Wratislaviæ usque ad octavam vespertinam.

5. *A uso* denotat tempus solutionis usitatum in loco, ubi facienda

da ſolutio, quod pro diverſitate locorum eſt varium, in tota ferè Germanía; utì Lipſiæ, Wratislaviæ, Viennæ uſo denotat 14. dies à die acceptationis litterarum cambij, alibi 12. alibi 15. dies: præter hoc tempus autem adhuc 6. dies der Reſpit-Tâge debitori conceduntur. Uſo doppio, oder doppelt uſo denotat 28. dies, quibus juxta *novam ordinationem Wratislavienſem* § 14. ſuperadduntur tantùm 6. Reſpit-Tâge, non autem 12. Halb-uſo denotat 8. dies, und drey Reſpit-Tâge, in propriis litteris, zwiſchen Geber und Nehmer, ubi ſcribens cambium ſe ipſum ad ſolvendum obligavit, uſo non computatur à die acceptationis, quia illa prorſus opus non eſt, ſed à die datarum litterarum.

A Uſo quid denotet.

Uſo doppio & halb uſo quid denotet.

A Viſta denotát, quòd acceptans mox poſt præſentationem litterarum cambialium ſolvere teneatur, nec eidem die Reſpit-

6. *A Viſta, quid denotet.*

Täge indulgentur, ſed ſolutio inter 24. horas facienda, aliàs vel proteſtari, vel executio contra acceptantem judicialiter peti poteſt. *Nova ordinatio cambialis Wratislavienſis* § 14.

7. Nachſicht *quid denotet & quot Reſpit-Täge conceduntur.*

Solet etiam in litteris cambialibus ad tertium acceptantem directis terminus apponi. Drey Tag Nachſicht, vierzehen Tag Nachſicht, oder zwey Monath Nachſicht, per quod intelliguntur totidem dies à die præſentationis & acceptationis numerandi, poſt quos adhuc debitori die Reſpit-Täge competunt, & quidem ſi tempus ſit 14. dierum vel ultra 6. Reſpit-Täge, ſi octo vel ultra, minùs tamen 14. dierum fuerit, tantùm tres dies zum Reſpit Tägen conceduntur; in illis cambiis verò, quæ infra octo dies, v. g. auff drey oder fünff Täg Nachſicht ſtylizata ſunt, nulli dies reſpectûs indulgentur, ſed ſolutio intra 24. horas poſt ultimam diem

der

der Nachsicht præstanda, juxta præcitatam *novam ordinationem Wratislaviensem art.* 14.

8. Al piacere, oder nach Belieben, denotat, quòd solutio juxta beneplacitum creditoris cambij fieri debeat, vel mox, vel intra terminum cum acceptante conventum, circa quem præsentans pro sua securitate, vel statim convenire, vel ità pacisci potest, ut quando petierit, solutio præstò sit.

Al piacere quid sit.

9. Quid juris, si in litteris cambij nullum tempus solutionis sit expressum? R. *Card. Tuschus lit. C. conclusione* 14. tenet, quòd solvendum sit proximis nundinis loci illius, ubi solutio facienda; quod procedit, si locus talis sit, ubi nundinæ cambiales exercentur, si autem locus solutionis non habeat nundinas, mihi à uso solutio præstanda videtur; quamvis enim, quòd sinè die promittitur, præsenti die debeatur: tamen id intelligitur civili-

Ubi nullum tempus solutionis in litteris cambialibus expressum est, quid juris.

ter, nè creditor mox veniat cum facco, adeoque cessante dispositione hominis subintrat dispositio consuetudinis, quæ certum uso in solutionibus cambialibus introduxit.

10. *Acceptans litteras cambij ante tempus solvere non potest si trassantis interfit*

Observa, quòd, licèt de jure communi debitum in diem ante tempus solvi possit *l.* 70. & 98. § 4. *ff. de solutionibus*; tamen in cambijs, certum diem solutionis continentibus, acceptans ante diem præfixum solvere non debeat, excedit enim fines mandati a trassante dati, nulláque ei hoc casu contra trassantem competat actio, si ejus interfuit ante tempus non solvi. e. g. Ego demandavi Cajo, ut ultimâ Aprilis solvat mille Sempronio, cujus fidem de recipienda valuta secutus sum, Cajus solvit ultimâ Martij, & Sempronius intereà labitur facultatibus, ut nihil possim ab eo recipere, certè hoc casu Cajus à me nihil repetere potest, ità *nova ord. camb. Wratislav.* § 19. &

& *Augustana* § 7. Speciale autem est in cambiis ad nundinas, quòd licèt debitor ante ultimum diem solvere non teneatur, tamen octava nundinarum die sinè suo & creditoris præjudiciô solutionem præstare possit, juxta dictam *ord. Wratisl.* § 12. *vid. König ad art.* 14. *ordinationis Lipsiensis.* Neue Breßlauer Wechsel-Ordnung § 8. *In cambiis ad nundinas ante ultimum diem solutio fieri potest.*

CAPUT VIII.

De Præsentatione, Acceptatione, & Protestatione litterarum cambialium.

1. *Litteræ inter duos non egent Acceptatione.*

LItteræ cambiales, quas debitor ad se ipsum direxit, zwischen Geber und Nehmer, nulla ulteriori Præsentatione, aut Acceptatione opus habent: qui enim se ipsum ad solutionem obligavit, jam satis explicato taliter consensu ligatus est; unde quod hic de Præsentatione & Acceptatione dicetur, de

de litteris cambij ad tertium directis intelligendum.

2. *Præsentatio litterarum cambii, quid sit.*

Præsentatio litterarum cambij est actus, quo creditor cambij, seu is, cui incumbit recipere solutionem, litteras cambii in originali ei, cui imposita est solutio, ad acceptandum præsentat.

3. *Præsentatio litterarum, quomodo facienda.*

In cambiis irregularibus præsentatio semper fieri potest, in regularibus autem seu ad nundinas juxta *ordinat. camb. Lipsiensem* § 4. Præsentatio facienda in prima hebdomada nundinarum, & quidem in nundinis S. Michaëlis & Paschatis die Veneris primæ hebdomadæ usque ad horam 10. matutinam. In nundinis novi Anni verò biß auff den Tag vor Ausläutung des Marckts. Juxta *novam ord. Wratislav.* § 12. autem tempus præsentationis durat usque ad sextam diem nundinarum, si acceptatio non sequatur, protestatio mox facienda, & regressus in

traſſante quærendus. Nec obſtat id, quod in dicta *ord. Wratislav.* § 5. continetur: ubi dicitur, quòd litteræ cambii, quæ Wratislaviam mittuntur, ſtatim poſt adventum Poſtæ ad acceptandum præſentari debeant, ſi autem acceptatio non fiat, mox proteſtandum ſit, aut ſaltèm proteſtatio uſque ad proximum abitum Poſtæ illius loci, ex quo litteræ cambiales miſſæ fuerunt, & non ultra differri poſſit; nam id intelligendum videtur de litteris cambialibus extra nundinas, aut de illis, quæ quidem ad nundinas ſonant, ſed poſt lapſum primæ ſeptimanæ nundinarum Wratislaviam mittuntur, non verò de illis, quæ ſub initium nundinarum eò delatæ ſunt. Et ſic § 12. cum § 5. combinandus. Quod ſi autem mandatarius, cui commiſſa fuit præſentatio litterarum cambii, eam uti & proteſtationem ultra abitum primæ Poſtæ differat, periculum

Combinatio ordinat. Wratislavienſis art. 5. & 12.

Præſentans ſi differat præſentationem

in

& protestationem, periculum in se trahit.

in se suscipit, & principali suo, seu domino, & creditori litterarum cambii de solutione tenetur ob culpam, & moram in præsentatione commissum. Quoniam verò Wratislaviæ tempus advenientis & abeuntis Postæ valde angustum est, in nova ordinatione Wratislaviensi permissum est, litteras Sabbathinâ Postâ advenientes usque ad diem Martis, & litteras cum Posta die Mercurii advenientes usque ad diem Veneris præsentare & protestari, liberum tamen est acceptanti ante abitum Postæ adhuc pœnitere, & litteras cambii acceptare, dummodò ad ultimam horam acceptationem non differat, & expensas intereà factæ protestationis resarciat.

4. Acceptatio litterarum, quid sit.

Acceptatio est actus, quo is, cui per litteras cambii à trassante demandata fuit solutio, litteras cambii acceptat, & earum solutionem in se recipit.

Fa-

Facienda hæc acceptatio juxta omnes Germaniæ ordinationes in scriptis ab ipso principali, ad quem litteræ diriguntur, vel ejus mandatario sufficienter instructo, & quidem expresso die, v.g. *acceptiret den* 30. *Martij N. N. nova ordinatio Wratislaviensis* § 4. hoc omisso ad protestationem procedi potest. Oretenus facta acceptatio effectum litterarum cambii & executionem nach Wechsel-Gebrauch seu actionem cambialem non habet. An autem acceptans nihilominus viâ juris ordinariâ ex pacto, aut fidejussione conveniri possit? alia est quæstio. Mihi videtur, quod ordinationes cambiales præcipiendo scriptam acceptationem, illam, quæ oretenus facta fuit, solum ab actione cambiali excludere, nullatenus verò omni effectu & actione jure ordinario competente destituere voluerint; quidquid enim sit, adest tamen consensus ac-

5. *Acceptatio in scriptis facienda.*

Acceptatio oretenus facta non tribuit actionem cambialem.

Potest tamen ordinaria actione conveniri

acceptantis, adeoque fundamentum obligationis, nec ordinationes cambiales ultra effectus cambiales & sphæram suam sunt extendendæ.

Acceptatio tacita quid operetur.

Fit etiam quandoque acceptatio tacitè, si nempe is, ad quem diriguntur litteræ cambiales, eas suscipiat, penes se retineat, & non contradicat: quoties enim facto alicui taciturnitas accedit, pro consensu habetur, ità ut recipiens epistolam, & tacens, omnia in ea contenta fateri & approbare præsumatur. *arg. l. 16. ff. de SCto Macedoniano. & l. 15. de fundo dotali. l. 1. Cod. de filiisfamilias lib. 10. Berlich parte I. concluſ. 36. num. 25.* Et hæc ità de jure communi in ordine ad actionem ordinariam. Postquam verò ordinationes cambiales passim acceptationem scriptam requirunt, ex ijs ad ejusmodi tacitam acceptationem executivè nach Wechsel-Gebrauch procedi non potest, nisi aliud

aliud in particulari aliquo loco reperiatur ordinatum, uti *Hamburgi statutorum parte 2. tit. 7. § 5. & 6. nec non tit. 8. num. 5.* ubi statutum: quòd, qui litteras cambii durch drey Börse-Zeiten retinuit, nec petenti restituit, pro acceptante habeatur.

7. *Acceptatio facienda purè*

Acceptatio facienda purè & sinè conditione, siquidem præsentans nullam conditionem aut reservatum acceptare tenetur, & invitô ipsô appositа habetur pro non adjecta. Si tamen voluntariè conditionem recipiat, id periculo ejus cedit. *Nova ordinatio Wratislaviensis* § 10.

8. *Acceptatio per honorem de lettera, quid sit.*

Fit etiam quandoque acceptatio litterarum à tertio aliquo, cui in litteris cambij solutio demandata non fuit, in honorem scribentis litteras vel unius aut alterius indossantis, & hæc acceptatio vocatur *per honor di lettera sopra protesto*, id est in honorem litterarum super præmissa protestatione. Casus est: ego

Ego in litteris cambialibus demandavi Cajo Lipsiæ existenti, ut solvat Sempronio mille, Cajus non vult acceptare litteras cambii, eò, quòd fortè diffidat, an à me den Rembours seu indemnitatem pecuniæ solvendæ sit recuperaturus, Sempronius protestatur litteras cambiales, venit Titius meus amicus, & acceptat factâ hac protestatione litteras cambii, dicitur per honor di lettera acceptare, & tenetur solvere, facta autem solutione habet regressum contra trassantem, aut illum, in cujus honorem litteras acceptavit, non modò ad capitale, sed etiam ad expensas, provisionem, & interesse. *Nova ordinat. Wratisl.* § 9. Si etiam litteræ in honorem trassantis acceptatæ fuerint, & fuerunt jam ab aliis indossatæ, trassans autem labatur bonis, habebit acceptans suum regressum contra indossantes. Pro cautela notandum: quòd in hac accepta-

tatione, protestatio præcedere debeat, & litteris cambii inscribi, quòd acceptentur supra protestum, per honor di lettera; quin imò pro ulteriori cautela etiam solutio cum iterata protestatione facienda, nè à prima videatur recessum. *Zipffel de cambiis sect. 4. pag. 103.*

In acceptatione per honor di lettera protestatio præcedere debet.

9. Quod si autem ille, cui demandata fuit solutio post recusatam acceptionem pœniteat, & easdem ipse acceptare & solvere velit, non potest id invitô illô, qui intereà litteras pro honore acceptavit, facere, si autem is consenserit, tenetur eidem expensas intereà factas refundere. *Nova ord. Wratislav. § 9.*

Post acceptationem tertij per honor di lettera qualiter is, cui demandata solutio, pœnitere possit.

10. Effectus acceptationis est, quòd acceptans teneatur solvere, & quidem ad id actione cambiali, remota omni exceptione, executivè adstringitur, nec ante solutionem pœnitere potest, eò quòd interea innotuerit traffantem decoxisse, adeoque super

Acceptans tenetur solvere, nec potest pœnitere.

indemnizatione acceptantis actio eidem fiat inutilis, id enim ante acceptationem considerare debuisset.

Creditor cambij commissionem vel indossationem recipiendi pecuniam, qualiter revocare possit.

11. Alia quæstio est, an remittens, seu dans ad cambium, cui vigore litterarum cambij facienda est solutio, vel ejus commiss, si dederit commissionem locò sui recipiendi pecuniam per indossationem, zahlet statt meiner an Titium, possit post acceptationem pœnitere, & commissionem suam revocare, litteraſque cambij super alium indossare? R. vel commissio recipiendi pecuniam fuit data Titio, quà puro mandatario, vel in rem suam, & in vim cessionis. Primo casu nec dum facta solutione re adhuc integra revocari poterit, quia mandatum tale est revocabile; vel fuit facta indossatio seu girus in vim cessionis per verba, zahlet vor mich an Titium den Werth von ihme, & revocari non poterit, quia Titio est jus quæ-

quæsitum. Ita *ordinat. Antverpiensis* § 7. & *Hamburgensis art.* 11.

12. *Acceptatione vel solutione non secuta, qualiter protestandum.*

Acceptatione non facta per illum, cui demandabatur solutio, vel facta acceptatione sed in termino præfixo non secuta solutione, subsequitur protestatio, quæ nihil aliud est, quàm contestatio publica per Notarium ad id requisitum fieri solita, qua is, cui incumbit solutionem litterarum cambii recipere, de diligentia sua, qua jus suum salvum illibatumque manere vult, contestatur, ac de omnibus damnis & expensis per moram acceptationis, aut solutionis causatis protestatur. Protestum autem, seu protestatum est instrumentum de ipsa protestatione per Notarium confectum, cujus copia protestandi exhibenda; in defectu notarii protestatio fieri potest coram Magistratu, aut coram famulis publicis denen Raths-Dienern.

Protestatio cambii quid sit.

13. *Protestatio faciendа in præsentia debitoris vel acceptationem recusantis*

Protestatio facienda coram recusante acceptationem aut solutionem acceptatarum litterarum denegante; & adjiciendum in instrumento protesti, quid pro excusatione recusatæ acceptationis vel solutionis allegaverit? Si reperiri non possit in persona, protestatio in domo ejus peragenda. Si verò is, cui incumbit solutio aut acceptatio prorsus à loco absit, vel in loco solutionis aut nundinarum non compareat, protestatio coram Notario peragenda, & hoc ipsum in instrumento exprimendum, illum, cui incumbebat solutio aut acceptatio prævia diligenti investigatione reperiri non potuisse.

Ipso absente vel in domo vel coram Notario.

14. *Forma protestationis.*

Forma seu solennitas instrumenti protesti est eadem, quæ aliorum instrumentorum publicorum à Notario juxta consuetudinem loci confici solitorum; contenta plerumque sunt sequentia: quòd Titius Notarium

rium loco tali acceſſerit, eique litteras cambij, quarum tenor inſtrumento inſeritur, produxerit, rogando, ut Cajum accederet, eúmque de facienda acceptatione aut ſolutione harum litterarum cambialium admoneret, quod Notarius feeit, & à Cajo tale reſponſum, quòd inſtrumento inſeritur, receperit, aut ſi in loco non fuerit repertus, id in proteſto exprimitur; deſuper, quòd Titius de reſarcitione capitalis, omnium damnorum, expenſarum, & intereſſe contra quemcunque hiſce litteris cambialibus obligatum ſolenniſſimè & de meliori proteſtatus ſit, ſuper quibus hoc inſtrumentum proteſti confectum, ſigillô, manúsque propriæ ſubſcriptione unà cum teſtibus requiſitis munitum fuerit. *Ord. Francofurtenſis art.* 9. & generalis conſuetudo.

Tempus proteſtationis de recuſata acceptatione in cambiis 19.

Tempus proteſtationis pro diverſitate cambiorum ſuper denegata acceptatione.

nundinalibus ſeu regularibus eſt Wratislaviæ dies ſexta nundinarum *ord. Wratislav.* §. 4. Lipſiæ in nundinis Michaëlis & Paſchatis dies Veneris primæ ſeptimanæ, in nundinis novi anni biß auff den Tag vor Ausleutung des Marckts, juxta ea, quæ dicta ſunt *Cap. VIII. num.* 3. In cambiis irregularibus Lipſiæ tempus proteſtationis de recuſata acceptatione currit à die præſentationis, & durat uſque ad abitum proximæ poſtæ, vel nuncii ad locum, unde litteræ cambii miſſæ fuerunt, eſtque declaratio facienda 6. horis ante abitum nuntii vel Poſtæ, hôc omiſſô proteſtatio mox facienda. *Ord. Lipſienſis* § 7.

Tempus proteſtationis de non ſecuta ſolutione.

16. Tempus proteſtationis ob non præſtitam ſolutionem in cambiis nundinalibus eſt ultima dies ſolutionis juxta dicta *cap.* 8. *num.* 4. In cambiis irregularibus ultima dies ſolutionis juxta differentias ſupra cap. 8. notatas.

An,

An, si dies protestationis in diem dominicum vel festum incidat, protestatio illo die peragi possit? R. Hamburgi juxta *ordinationem cambialem* § 4. prohibitum protestationes fieri die festo, adeoque dies sequens observandus. *Idem Coloniæ art.* 1. & 2. & *Wratislaviæ juxta novam ordinationem* § 14. *Ordinatio Augustana* econtra *art.* 2. protestationes die festo admittit ob necessitatem. Mihi videtur de Jure communi tutius esse, die festo protestationem peragere, quæ ob necessitatem excusatur. *l.* 1. § 2. *ff. de feriis.* 17. *Die festo num protestatio facienda.*

Observa differentiam esse unter den *Protest notiren*, und unter den *Protest* erheben und *elevi*ren; Primum significat, quòd protestatio apud Notarium ad notam accepta, sed nec dum levata & in instrumentum redacta sit. Secundum designat, quod protestans ipsum instrumentum elevaverit. Si 18. *Differentia inter protest notiren* und erheben.

quis recusanti acceptationem connivere velit, potest protestum in tempore notari curare, per quod suam diligentiam satis contestatur, levare autem & remittere protestum usque ad proximum abitum postæ differre potest citra periculum suum. Vide *Zipffel de cambiis sect.* 6. *pag.* 197.

19. *Protestatio etiam trassanti mittenda.*

Non tantum autem protestationem in tempore facere sufficit, sed etiam proximâ postâ instrumentum protesti unà cum litteris cambialibus in copia trassanti notificandum & mittendum est, quô factô trassans & indossans non modò ad summam capitalem, sed etiam ad interesse, seu usuras cambiales, & omnes expensas & damna perpessa refundenda tenetur actione cambiali. *Nova ordinat. Wratislav.* § 6.

20. *Omissa protestatione*

Omissa protestatione præsentans seu creditor cambii amittit omnem regressum adversus

trass

traſſantem, & etiam contra indoſſantes. Leipziger Wechſel-Ordnung *art.* 14. *Antverpienſis art.* 3. Amſterdamer *Wisselekeur de Anno* 1661. Quod omnino certum eſt, in omiſſa proteſtatione, non factæ ſolutionis acceptatarum litterarum, videtur enim tunc præſentans fidem ſoliùs acceptantis ſecutus fuiſſe.

amittitur regreſſus contra doſſantem & indoſſantem.

Quid autem dicendum in caſu non factæ proteſtationis ſuper denegata acceptatione? R. Hoc caſu certum eſt, quod præſentans actionem cambialem, uti & regreſſum de expenſis & intereſſe amittat, cùm ſibi imputare debeat, quod non egerit id, quod agendum fuit. An vero non poſſit à traſſante valutam actione ordinaria condictionis ſine cauſa repetere, de hoc in ſpecie in ordinationibus cambialibus quæ nimis generaliter loquuntur, nihil invenio. *Zipffel de cambiis ſect.* 6, *pag.* 185. ſcribit: quòd perdat jus cambiale, lucrum

21. *Omiſſa proteſtatione ſuper denegata acceptatione, actio cambialis amittitur contra traſſantem.*

crum & intereſſe futurum, quod adhuc amiſſionem actionis ordinariæ non importat. Mihi videtur diſtingvendum: an interſit traſſantis proteſtationem de non facta acceptatione in tempore factam fuiſſe, eò quòd recuſans acceptationem pro priori den Rembours ſeu remiſſam à traſſante acceperit, & bonis lapſus ſit; & tunc creditor cambij regreſſum adverſus traſſantem amittit, omiſit enim proteſtationem periculô ſuô, & culpâ ſuâ traſſantem damnificavit. Si autem traſſans per nón acceptationem & omiſſam proteſtationem nullum damnum paſſus eſt, non video, qua ratione valutam ſolutam retinere poſſit, manet enim apud ipſum ſinè cauſa, & locupletatur cum damno alieno, quo caſu jura condictionem ſinè cauſa indulgent. *l.* 1. 2. & 4. *ff. de condictione ſinè cauſa*, quam jura cambialia nullibi ſuſtulerunt. Cui adſtipulatur

Omiſſa proteſtatione, quando actio ordinaria contra traſſantem competat.

tur *parere Mercatorum Lipsiensium de Anno* 1703. *quod refert König in observat.* der Leipziger Wechsel-Ordnung *art.* 7.

Quin imò *König citatô locô* afferit omissionem protestationis ob intermissam acceptationem non nocere, si cambium directum sit ad locum, wo kein Wechsel-Platz ist, & ubi nulla ordinatio cambialis introducta est. 22. *Si cambium directum sit ad locum, ubi non viget ordinatio cambialis, quid juris*

An protestatione opus sit in cambiis inter remittentem & trassantem tantummodò, sinè interventione tertii, cui per cessionem facta est indossatio, contractis, quæ auff Retour geschlossen, vocantur? R. Juxta *novam ordinationem Wratislaviensem art.* 22. adhuc requiri protestationem, si non sequatur in tempore solutio ad hoc, ut actione cambiali procedi possit. Videtur tamen sibi eadem *nova ordinatio Wratislaviensis* § 32. contradicere; ubi dicitur ejusmodi litteras 23. *In cambiis à remittente, num protestatione opus,*

in

in ſuo vigore manere non obſtante omiſſa proteſtatione, poſſéque creditorem omnia ea intentare, quæ lapſa ſolutionis die intentare potuit. Ad hoc combinandum puto § 22. intelligendum eſſe, quòd proteſtatio quidem fieri debeat, ſed non ſtatim, eſſe tamen faciendam ex poſt facto, ut litteræ habeant paratam executionem jure cambij, & ſic manebunt litteræ tales juxta § 22. in ſuo effectu, quem habuerunt tempore ſolutionis, videlicet, quòd poſtea ſicut tunc proteſtari poſſint, & deinde ſolutio exigi. Alibi hac proteſtatione opus non eſt, cùm proteſtationis finis ſit, ut regreſſus contra tertium haberi poſſit, hic autem totum negotium inter duos den Nehmer und Geber ſeu remittentem & traſſantem verſatur. *Ità Zipffel de camb. ſect. 6. pag. 174. allegans reſponſum Juris Conſultorum Lipſienſium de Anno* 1673.

CA-

CAPUT IX.

De actione cambiali & executione.

ACtio ex cambio alia est *Directa*, alia *Utilis*, alia *Contraria*.

Actio *directa* est personalis, quæ datur creditori cambij, ejusque mandatario vel cessionario, eorumque hæredibus contra acceptantem vel trassantem, aut in vim cessionis indossantem, fidejussorem, & constituentem, eorumque hæredes, ad hoc, ut quantitas in cambio expressa unà cum eo, quod interest, ac omnibus damnis & expensis solvatur. 1. *Actio ex cambio quotuplex.* 2. *Actio directa quid*

Dixi quód sit *personalis*; quia ex cambio regulariter actio hypothecaria non datur, nisi adjectum sit bey Verpfändung alles meines Haab und Gutts; quamvis de statutis locorum cambia inter chyrographarios cre- 3. *Actio hypothecaria ex cambio regulariter non datur.*

creditores in concursibus creditorum adhuc aliqua prærogativa gaudeant. Sic in regno Boëmiæ juxta *Novellam E.* c. 33. § 4. cambia prioritate ante fiscum in bonis suorum officialium, & contractibus fiscalibus, & multos alios non modò non privilegiatos, sed & privilegiatos chyrographarios creditores gaudent. Juxta *novam ordinationem Wratislaviensem art.* 36. litteræ cambiales gaudent prærogativa post ultimam hypothecam conventionalem ante omnes chyrographarios, plures creditores cambiales autem simul concurrentes pro rata ex residuo solvendi sunt.

Habet tamen cambium prærogativam inter chyrographarios.

4. *Nomine creditoris cambii, qui veniant.*

Dixi *creditori cambii*, ejusque mandatario, vel cessionario, eorúmque hæredibus. Per creditorem cambii intelligitur is, cui vi litterarum cambialium competit exactio solutionis, qui quandoque est ipse contrahens der Wechsel-Nehmer, aliàs remit-

mittens dictus, si super ipsum sonent litteræ; quandoque tertius præsentans, cui exactio solutionis fuit in litteris pactata, vel mandatarij aut cessionarij eorundem.

Dixi *contra acceptantem, trassantem, aut in vim cessionis indossantem.* Circa quod observandum: non modò acceptantem, & trassantem, sed & omnes indossantes in solidum teneri; proinde non secutâ solutione liberum est creditori cambij, vel contra acceptantem, vel contra trassantem, vel ultimum indossantem agere. Augspurger Wechsel-Ordnung *art.* 8. Antwerper Wechsel-Ordnung *art.* 3. & 4. Quin imo creditori liberum est variare, & si acceptantem cœpit excutere, ab eo remittere, & contra ultimum indossantem sese vertere, & vicissim. Inter indossantes autem & trassantem ordo servandus, ità, ut primô locô ultimus indos- 5. *Contra quos actio directa competat.*

sans sit excutiendus, dein proximus, & sic ordine usque ad trassantem, *Ordinatio Lipsiensis art.* 19. & 20. *Nova Ordinatio Wratislaviensis art.* 24. Addidi autem contra ultimum indossantem in vim cessionis: si enim indossatio est facta in vim mandati tantùm, qualis est illa, zahlet vor mich an Titium, sinè adjecto den Werth von Jhme empfangen, tunc mandatarius non habet actionem contra mandantem, nisi fortè mandatum unà gratiam mandatarij respexisset. Ex quo apparet, quàm periculosi sint giri in banco, cum ex illis colligi non possit, an sint facti in vim mandati, an cessionis?

6. *Contra fidejussorem & constituentem actio directa competit.*

Dixi *adversùs fidejussorem & constituentem*, quia præter acceptantem adhuc fidejussor, aut alius constituens intervenire potest.

Dixi, *ut quantitas cum omni eo, quod interest, ac damnis & expensis refundatur*: in hanc enim actio-

actionem non modò capitale, sed & lagio, intereſſe, der cours von Wieder-Wechſel, & omnia damna & expenſæ veniunt. *ordinat. cambialis Lipſienſis art.* 21. Juxta *novam Ordinat. Wratis. art.* 26. ſolvitur der Wechſel, prout à loco ſolutionis & proteſtationis recta currit ad locum, ubi litteræ datæ ſunt; Item reſarciuntur expenſæ proviſionis, proteſtationis ſenſariæ & poſtarum, quæ omnia intra 24. horas ſolvenda, dicta *Ordinatio Wratislav. art.* 25. Intereſſe nomine hìc intelligitur omne lucrum ceſſans & damnum emergens; unde in arbitrio creditoris ſtat, num uſuris cambialibus contentus eſſet velit, aut ultra id damna perpeſſa, eò quòd ipſe fortè ob defectum pecuniæ ab alio arreſtatus, aut à lucroſo aliquo contractu impeditus fuerit, vel ſimile quid probare velit. *Hamburg.* Stadt-Buch *part.* 2. *tit.* 1. *art.* 4.

7. *Quid veniat in actionem cambij directam*

8. *Utilis actio cambij.*

Utilis actio competit proxenetis & alijs mediantibus personis ratione laboris, provisionis & expensarum.

9. *Actio cambij contraria.*

Contraria actio datur acceptanti contra trassantem ad consequendam indemnizationem, seu rembours unà cum usuris cambialibus & provisione. Item trassanti contra remittentem, si valutam in parato non accepit, sed fidem ejus secutus est, ubi quidem ordinariè trassans sese, vel alijs litteris cambij, vel chyrographô munire solet, ex quo pro re nata agitur; sin verò nihil simile actum, vel actio cambij contraria ad refundendam valutam cum lagio, & usuris cambialibus datur, vel actio mandati contraria. vide *novam ordinationem Wratislav. art.* 13.

10. *Contra mandatarium negligentem.*

Quæstio est, qualis actio competat remittenti adversùs mandatarium, cui demandata solutionis exactio, si protestari negligat & acceptanti ultra tempus solu-

solutionis conniveat? R. Competit actio mandati directa, quia inter has personas cambium contractum non fuit. *datur actio mandati directa.*

Contra actionem cambialem in regula nulla admittitur exceptio. Excipitur 1. Si debitor neget se litteras cambij aut acceptationem vel indossationem scripsisse, ubi diffessio scripturæ, nisi alijs vijs probetur, per diffitentem juratò firmari debet. Ità habet die Leipziger Handels-Gerichts-Ordnung *cap* 13. *Capitulum cambiale Bononiense vers. alle dette letteræ*, & responderunt *Scabini Lipsienses inter Zipffel & Samuel le Conte* 22. *Januarij Anno* 1653. Secunda exceptio contra actionem cambialem in jure permissa est solutionis. Tertia compensationis, quæ in cambijs vim solutionis habet, & vocatur scontro, scontrare, & pagare per scontri. *ordinatio Augustana* § 7. *Francofurtensis* § 16. *& Lipsiensis art.* 14. 11. *Contra actionem cambialem quæ exceptiones competant.*

Compensatio per scontro quomodo fiat.

24. & 25. in qua posteriori observandum est: quòd tales scontri intra tres primos dies der Zahl-Wochen per collationem der Marckt-Memorialien, oder Scontro-Bücher fieri debeant, & quod semel agnitum, & consentiente parte in scontro notatum reperitur, pro solutione habeatur, quæ tamen ità accipienda, quatenus negotium est inter trassantem & remittentem, seu den Wechsel-Geber und Wechsel-Nehmer; Cessionarius autem aut tertius præsentans exceptione solutionis, compensationis, & non receptæ valutæ non excluditur juxta tradita *cap. 2. num. 9.*

12. *Assignatio qualiter pro solutione habeatur.*

Assignatio seu *delegatio* etiam est modus solutionis, quando videlicet debitor cambij consentiente creditore eidem solutionem apud alium suum debitorem assignat, aut cambium super suum debitorem sonans eidem indossat; si creditor assignatio-

tionem absolutè acceptet, aut illam apud se per 24. horas, intra quas dies dominici & festi non computantur, sinè protestatione retineat, pro solutione habetur. *Nova ordinat. Wratislav. art.* 38.

Invito creditori cambij assignatio in vim solutionis regulariter fieri non potest; assignatio enim invito creditori facta non est solutio: tenetur tamen eandem creditor pro interim salvo regressu contra assignantem, mandatario nomine acceptare, si videlicet assignatus per cassam, id est paratâ pecuniâ intra tempus solutionis eandem præstet, si autem id non sequatur, is, cui invito & reservato regressu contra primum debitorem assignatio facta est, ultimo die solutionis (nisi ab eo fiat solutio) protestum contra debitorem assignantem levare, & actione cambiali procedere potest. *Ordinatio Francofurtensis art.* 3. *St. Gallen-* 13.

Assignatio qualiter loco solutionis recipienda, secundùm diversitatem locorum.

sis de Anno 1671. *Colonienſis art* 6. Ordinatio Auguſtana ſcriptas aſſignationes prorſus non admittit, ſed vult, ut fiant per ſcontro partibus in loco ſcontri auff den ſo genannten Perlach præſentibus, idque in diebus nundinalibus ad ſcontrandum deputatis, videlicet die Sabbathi, Lunæ & Martis. Si debitor uſque ad diem Martis horâ undecimâ antemeridianâ per riſcontro ſeu computum, & compenſationem ſuorum activorum & paſſivorum cum creditore evenire, eique aliquem acceptabilem debitorem aſſignare poſſit, res eſt ſalva; ſin minùs, ſolutio in præfixo termino paratâ pecuniâ ſequi debet. *Ordinatio Auguſtana art.* 14. Juxta *Novam Ordinationem Wratislavienſem art.* 38. inductumeſt, ut inter mercatores bey denen Reſpit-Tägen aſſignationes, quæ ſaltèm ſummam 100. Imperialium concernunt, ſint validæ, & ſi quis abſque conditione aſ-

assignationem susceperit, eámque 24. horis, exceptis diebus dominicis & festis, retinuerit, illam locò solutionis retinere, & post 24. horas litteras cambij priùs ab assignante acceptatas restituere teneatur. Quod omnino durum & rationi dissonum videretur, si creditor cambij assignationem simpliciter locò solutionis acceptare, atque adeò regressu non modò contra assignantem sed & contra indossantes & remittentem sese privare teneretur. Unde articulus iste, ut evitetur hoc absurdum, ità accipiendus est, ut, dum debitor creditori cambij locò solutionis assignationem apud alium offert, creditor conditionem apponere possit, ut si assignatio in tempore cambij solvendi non solvatur, litteræ cambiales, tam contra assignantem, quàm contra indossantes, & primum transsantem, vim suam retineant, eàsque protestari ultima die permis-

Ordinatio Wratislaviensis circa assignationes qualiter intelligenda.

sum sit. Si verò creditor intrà 24. horas assignationem debitori assignanti non reddat, vel conditionem reservati juris ex litteris cambij acceptatis, in casum non secutæ solutionis, intereà non apponat, tunc demum assignatio vim solutionis obtineat; tali casu enim creditor cambij sibi imputare debet, quòd tam improvidè assignationem à debitore susceperit. Dicitur prætereà ulteriùs in hoc *art.* 38. *Novæ Ord. Wratislav.* quòd assignationes factæ ad certum tempus, à debitore assignato, acceptandæ, & si acceptatio non sequatur, protestandæ sint; facta autem acceptatione, talis assignatio qualitatem litterarum cambij inducat, & cum ea, sicut cum litteris cambij procedendum sit, & quòd hæ acceptatæ assignationes, ad certum tempus factæ, solitis diebus respectûs, seu der Respit-Täge gaudeant, illæ verò, quæ sinè termino solutionis

nis certo datæ sunt, intra 24. horas solvendæ, aut absque protestatione restituendæ sint; quæ omnia ità accipienda puto, si creditor cambij loco solutionis assignationem ad certum tempus factam ultroneè susceperit, eàmque debitor assignatus acceptaverit, tunc enim habebit contra debitorem assignatum, utì & contra assignantem, si solutio non sequatur, regressum; hoc casu autem, si creditor cambij à debitore assignationem ultra tempus suarum litterarum susceperit, regressum contra indossantes, & primum trassantem litterarum cambij amittet, fecit enim novationem primarum litterarum cambij ad assignantem directarum, & cambium primum in tempore non exegit. Unde concludo, quòd creditor cambij assignationem, ultra tempus suarum litterarum solvendam, acceptare non teneatur; & quamvìs assignatio in-

intrà terminum ſuarum litterarum ſonet, eam non aliter, quàm ſub conditione regreſsûs & contra indoſſantes, & primum traſſantem, acceptare teneatur.

14. *Pragmatica Electoralis Saxonica circa aſſignationes.*

Notandum præterea circa aſſignationes, in materia cambij, Sereniſſimum Auguſtum Poloniæ Regem, & Saxoniæ Electorem *Anno* 1700. 2. *Januarii quandam Pragmaticam* edidiſſe, ubi inprimis diſtingvitur, an aſſignatio facta ſit in vim dationis in ſolutum, an per modum mandati? primô modô facta aſſignatio operatur ſolutionem, facta autem in vim mandati, neutiquam, ſed manet penes illud brocardicum: Anweiſung iſt keine Bezahlung. Nè autem controvertatur, an aſſignatio facta ſit in vim dationis in ſolutum, an mandati, tenetur aſſignans illam in ſcriptis facere, & ab aſſignatario quietantiam levare, aut eandem in Scontro-Büchern notare, ſi id non faciat, habetur aſſignatio

gnatio pro nudo mandato, nec alia probatio in contrarium admittitur. Assignatarius autem qui in vim mandati assignationem acceptavit, tenetur in termino solutionis, aut si nullus præfixus sit, intrà octiduum apud debitorem assignatum se insinuare, solutionem petere, & si non obtineat, assignatum creditum assignanti mox restituere, vel ipso absente protestationem de non facta solutione interponere; cæteroquin si debitor assignatus fiat non solvendo, id periculo assignatarij cedit. 15.

Fit etiam solutio quandoque per novationem, si creditor locò solutionis novas litteras cambij suscipiat, quod recambium vocatur. *Raphaëel de Turri disp. 2. quæst. 20. & sequentibus.* *Novatio in cambijs, quomodo fiat.* 16.

Executio in litteris cambialibus est paratissima, & quidem nach den erneuerten Leipziger Marckt-*Rescript de dato 21. Julii Anno* *Executio litterarū cambij paratissima.*

Anno 1660. debitor in persona coram judice comparere tenetur, & recognitis litteris cambialibus, & non probata solutione mox arrestatur, & non dimittitur, donec solvat. In Regno Boëmiæ juxta *patentes Anno* 1688. 11. *Maij emanatas* in debitis mercantilibus per subscriptionem debitoris, aut aliud instrumentum vitio visibili non affectum probatis debitori mox decernitur solutio, aut saltèm depositio: ubi creditori, si cautionem præstare possit, pecuniam non obstantibus quibusvis exceptionibus levare permissum, si non possit, manet pecunia in depositio, donec super exceptionibus debitoris cognoscatur, causâ cognitâ, creditor, qui pecuniam levavit in casum victoriæ, à cautione absolvitur, eidémque expensæ adjudicantur. Si creditor succumbat, pecunia debitori uná cum expensis & interesse redditur.

In Boëmia in debitis mercantilibus qualiter procedatur.

Quæ-

Quæstio est, an litteræ, in quibus omissum est ly gegen dieſen Wechſel-Brieff seu expressa mentio litterarum cambialium, actione cambiali gaudeant? R. Si cæteroquin in ejusmodi litteris satis expressum est, conventum fuisse inter partes de permutatione pecuniæ de loco ad locum, probabiliùs videtur actionem cambialem competere, licèt expressis verbis hujusmodi scriptura litterarum cambialium nomine non fuerit insignita, ex ratione: I. Quòd habitâ rei substantiâ de voce & nomine non sit quærendum, cùm verba rebus, & non res verbis subservire debeant. *l.* 69. *ff. de legatis & l.* 3. §. 9. *de adimendis legatis.* Verba enim pendent à mente, & non mens â verbis. *Menoch. Consil.* 79. *num.* 44. Facit II. *l.* 6. *ff. de rebus creditis*, ubi dicitur, nihil referre, proprio nomine quid exprimatur, an aliàs sufficienter demonstretur. Item. 17. *Litteræ cambiales, in quibus omissum, gegen dieſen Wechſel Brieff, num actione cambiali gaudeant.*

Cap.

Cap. dilecti X. de Judicijs, ubi sufficit, ex apta libelli conceptione actionem intelligi, licèt nominetenus non designetur.

Solvitur objectio. Nec obstat, quòd ly Wechsel-Brieff inducat causam debendi, adeoque sit de forma; nam id verum est, nisi ex contextu eadem debendi causa eluceſcat, nempe valuta unô locô accepta, aliô solvenda, nec me movet præjudicatum apud *Zipffel de Cambijs sect. 7. pag.* 250. in contrarium citatum, nam quamvis ejusmodi præjudicata authoritatem aliquam habeant, tamen jus inter alios, quàm litigantes non faciunt, præterquàm, quòd ibi traſſans Lipſiæ valutam receperit, & iterum Lipſiæ ſolvere promiſerit, ſinè permutatione de loco ad locum, adeoque hæ litteræ, ex ſe pro cambialibus haberi non poterant, nisi ipſis adjectum fuiſſet: gegen dieſen Wechſel-Brieff, per quod traſſans in contractu ex natura ſui non

non cambiali in forma cambij seſe obligare debuiſſet, ut ſaltèm ex quadam conſvetudine ob adjectum nomen Wechſel-Brieff actione cambiali tenetur.

Quæritur, quanto tempore actioni cambiali præſcribatur? R. Juxta *Ord. Camb. Lipſienſem art.* 32. litteris cambialibus à traſſante ad tertium directis, præſcribitur poſt tempus ſolutionis per menſem, intellige, ſi non fuerit proteſtatum, eſt enim præſumptio, quòd ab acceptante fuerint ſolutæ, ſicut habet textus, vor bezahlt gehalten werden; ubi proteſtatio hanc præſumptionem elidit. Litteris ad ſe ipſum directis præſcribitur per annum juxta eandem *Ordinat. Cambialem Lipſienſem art.* 32. & quidem in totum in verbis: Hernach gantz und gar erloſchen, und der Debitor dem Creditori ferner darauß etwas zu bezahlen nicht ſchuldig; Si autem creditor intra hunc annum

18. *Præſcriptio in cambijs quatenus obtineat.*

num moriatur, adhuc hæred
bus annus unus indulgetur, u
& pijs causis. Quidquid si
constitutio hæc præscriptione
ad tam breve tempus restrin
gens est dura, vel maximè si m
la fides in debitore concurrat
unde eam in foro conscientiæ
locum habere non puto, & d
bitorem in foro conscienti
quis quis sit, in foro fori adhu
obligatum manere existimc
nisi bona fides ex parte ejus co
currat, v. g. Si ipse sit hæres tra
santis aut acceptantis, adeoqu
factum defuncti ignoret. Und
hanc ordinationem Lipsienser
ad alia loca, ubi nihil simile indu
ctum est, tam facilè, extenden
dam non puto.

19. *Appellatio in cambijs quatenus permissa.*

An in causis cambij locum ha
beat Appellatio? R. Acto
appellatio est permissa, non ten
dit enim id in præjudicium con
servationis fidei mercantilis, c
privilegij actionis cambialis
reo autem ad effectu
suspen

ſuſpenſivum permiſſa non eſt. Sächſiſche Gerichts-Ordnung *tit.* 20. *& Edictum Joannis Georgij III. de Anno* 1681. 18. *Februarij. Concordat* Reichs-Abſchied *de Anno* 1654. §. als auch bey Handels-Städten. Cæteroquin de conſuetudine Italiæ tam quoad effectum ſuſpenſivum, quàm devolutivum appellatio non admittitur, juxta *Scacciam de commercijs & cambijs* § 8. *Gloſ. ſâ unicâ.*

Quæritur, quid juris ſit circa litteras cambiales in locis illis, ubi nulla ordinatio cambialis præſcripta eſt, nullùmque particulare ſtatutum aut conſuetudo circa cambia viget. R. Diſtinguendum eſſe inter *ordinem proceſſûs cambialis*, & paratam executiònem, & inter *materialia cauſæ*, & quidem quoad ordinem proceſſus & executionem, in loco, ubi nulla ordinatio cambialis, aut ſtatuta, vel conſuetudo circa cambia viget, litteræ cam- 20. *In locis ubi nulla ordinatio cambialis viget, proceſſui ordinario locus erit.*

bij nullum alium effectum hal
bunt, quàm illum, quem hab
alij contractus; potest tam
hoc casu princeps territorij
lius, in quo jus cambiale vig
